



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

VIII. Idem probatur quatuor aliis argumentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

CAPVT VIII.

Idem probatur quatuor aliis argumentis.

PRAETER communem hunc Patrum consensum id ipsum suadet consensus hæreticorum in traditionibus contemnendis. Vt enim ex communi consensu sanctorum Patrum, omnium ætatum recipientium traditiones, colligimus eas esse recipiendas ex communi consensu hæreticorum, omnium ætatum recipientium traditiones, colligimus eas non esse reiiciendas. Valentinianis, Marcionistis, & similibus testantur Irenæus lib. 3. cap. 2. & Tertullianus de præscriptionibus, quod traditiones Ecclesiæ non scriptas reiicerent.

*ca. Hi simul reiicie-
bant scripturas
et traditiones
in eo sensu acceptas
quo et nos caritas
mittimus q. ioh. 1. q. i.
arg. 2. q. 2. ad unum
id q. 2. in scriptura*

CYPRIANVS quoq; cum errorem illum de Anabaptis defendere vellet, non aliter id facere potuit, quam a traditione ad Scripturam prouocando, vt apparet ex epistola eius ad Pompeium, & ex altera ad Iubaianum. Quam antea Cyprianus traditiones agnouerat, vt supra ostendimus, & errorem etiam posteriorem eum correxisse mortem existimat B. Augustinus in epist. 48. ad Vincentium.

DONATISTAE quoque semper Scripturas vrgebant. B. Augustinus eis traditiones, & Ecclesiæ consuetudinem reiiciebat lib. de vnitae Ecclesiæ, cap. 19. & alibi.

ARIANOS nullo modo quidquam præter Scripturas admisisse, testatur Hilarius, qui in lib. contra Constantium introducit Arianum dicentem: *Nolo verba qua non scripta sunt legi.* Maximinus Arianus apud Augustinum lib. 1. contra Maximinum, in principio sic ait: *Si quid de diuinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut adiciamus; hæc verò voces qua extra Scripturam sunt, nullo capite nobis suscipiuntur. Præterea cum ipse Dominus moneret, & dicit: Sine causa colunt me docentes mandata, & præcepta hominum.* Idem testatur Epiphanius hæres. 69. & Epiphanius hæres. 73. Idem de EVNOMIANIS patet ex Basilio de Spiritu sancto, ca. 27. & 29. Idem de NESTORIO, EUTYCHETE, DIOSCORO refert Basilus Ancyranus Episcopus in confessione Catholica, quam recitauit in VII. Synodo a Constantinensi. Idem de Apostolicis sui temporis Bernardus hom. 66. in C.

ARIANOS quoque traditiones reiicisse scribit Epiphanius hæres. 73. Idem de EVNOMIANIS patet ex Basilio de Spiritu sancto, ca. 27. & 29. Idem de NESTORIO, EUTYCHETE, DIOSCORO refert Basilus Ancyranus Episcopus in confessione Catholica, quam recitauit in VII. Synodo a Constantinensi. Idem de Apostolicis sui temporis Bernardus hom. 66. in C.

tica. Idem de IOANNE WICLEFO Thomas Waldensis, lib. 2. doct. fidei antiquæ, cap. 19. Ab his ergo quasi per manus acceperunt Lutherani dogma suum de traditionib. contemnendis: vt nos à sanctis Patribus nostrum didicimus, de iisdem cum omni honore recipiendis.

HIS ADDE morem omnium gentium. Nam Iudæos habuisse aliquas traditiones extra Scripturam, docent ORIGENES hom. 5. in Numer. & in comment. cap. 3. ad Rom. & HILARIUS in Psal. 2. necnon ANATOLIVS antiquissimus auctor Christianus apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 28. Et quamquam non desunt aliqui Catholicorum, qui negant vllam fuisse traditionē non scriptam apud Iudæos, tamen non possum illis assentiri, cum vt supra docuimus, non omnia sufficienter continerit lex vetus scripta, & multo tempore populus ille, etiam post Moysen natum, sine lege scripta vixerit.

DEINDE omnes profanæ Respub. magna ex parte legibus non scriptis reguntur. PERICLES apud Thucydidem partitur ius Athenarum in scriptum, & non scriptum. ARISTOTELIS lib. 3. Polit. cap. 11. partim optimis legibus, partim arbitrio optimi viri ciuitatem regendam esse statuit. & lib. 5. de moribus cap. 4. iudicem siue arbitrum ius animatum vocat, quod videlicet aliud quoddam præterea extet ius scriptum, veluti mortuum. Porro Lacedæmoniis LYCVRGVS nullam legem scriptam dare voluit, vt ait Plutarchus, sed solis traditionibus viuere, quò essent in agendo, quam in legendo diligentiores. Idem placuisse CICERONI satis apparet ex lib. 1. de legibus. Et idem de sapientibus Gallorum scribit Cæsar lib. 6. de bello Gallico.

Nobilissimi Philosophorum PYTHAGORAS & SOCRATES, cum plurima docuerint, nihil tamen scripserunt, vt beatus Augustinus docet lib. 1. de consensu Euang. ca. 7. nisi quod Socrates fabulas ab Æsopo scriptas versibus prosequutus est. DENIQUE in iure civili leg. diuturna. ff. de legibus, & in iure canonico dist. 1. can. consuetudo, eadem tribuitur auctoritas legi scriptæ, & consuetudini non scriptæ. Itaque natura ipsa quodammodo clamare videtur traditiones non scriptas, vel necessarias, vel certè vtilissimas esse.

ACCEDAT Ecclesiæ Catholicæ dignitas. Nam vt olim Iudæi excellebant omnibus nationibus, quia credita erant illis
Y
eloquia

eloquia Dei, vt dicitur Rom. 3. ita nunc præstat Ecclesia Christi omnibus factis, quòd ipsa sola, quippe quæ sponsa Christi est, nouerit omnia mysteria veræ religionis, & conscia sit creatorum sponsi, & propterea appelleretur columna, & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. At si omnia essent scripta, & apertissimè, vt heretici dicunt, nullum esset priuilegium Ecclesie. Nam nihil minus scirent hæretici, & pagani, & Iudæi de mysteriis fidei nostræ, quàm nos ipsi, atq; antistites nostri scirent, neque esset verum, quod ait Irenæus lib. 3. cap. 4. in solam Ecclesiam tanquam in depositarium diues, repositam ab Apostolis scientiam rerum diuinarum.

ACCEDAT postremò dignitas mysteryorum multorum, quæ silentium requirunt, nec decet, vt in Scripturis, quæ in mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda mysteria Missæ non licet admittere vltos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem scripta tradere? Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas, quas populo loquutus erat, Luc. 8. & Apostolus ait 1. Corinth. 2. *Scientiam loquimur inter perfectos.* Et passim veteres, cum de sacramento Eucharistiæ loquuntur, dicere solent; *Normam deles, norunt initiati.* Hanc rationem attingunt Dionysius cap. 1. Eccles. hierarch. Origenes homil. 5. in Numer. Balbus cap. 27. lib. de Spiritu sancto, & Innocentius I. in epist. 1.

CAPVT IX.

Explicantur regula quinque, quibus inuentionem verarum traditionum deuenimus.

SEQVITVR nunc vt ostendamus, quibus viis traditionibus indagandum sit, quæ sint veræ ac genuinæ Apostolorum traditiones.

PRIMA igitur regula est, Quando vniuersa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non inuenitur in diuinis literis, necesse est dicere, ex Apostolorum traditione id haberi. Ratio huius est, quia cum Ecclesia vniuersa errare non possit, cum sit columna, & firmamentum veritatis.